

editiones partium secutae sunt. Saeculo autem XVI. post Lutherum multae versiones et innumerabiles fere editiones in Germania publicatae. (Una versio Dietenberger ab anno 1534. Coloniae vices edita.) — Saec. VIII—X. multae partes Bibliorum, saeculo autem XIII. et iterum saec. XIV. tota Scriptura in linguam *Anglicam* translata est. Ante protestantismum exeunte saec. XV. et ineunte XVI-o jam et pericopae et tota Scriptura Anglicana typis descriptae erant. — In *Gallia* saec. XI—XIII. plures versiones particulares exstiterunt, exeunte saec. XIII. jam plenior (a Guiars des Moulins) facta est, quae saec. XIV. completa, anno 1478. sqq. Lugduni ex parte, anno autem 1487. Parisiis tota typis impressa prodiit, quam editionem multae secutae sunt. — Etiam in *Italia* et *Hispania* jam saeculo XIII., in *Hollandia* saec. XV-o versiones vernaculae confectae sunt. In *Hungaria* praeter partes Scripturae jam saec. XII. translatas, priore dimidio saeculi XV. tota Scriptura a L. Báthory translata est. Versio *Bohemica* completa saec. XV. (typis excusa anno 1488.), et *Polonica* exeunte saec. XIV. facta est. A tempore autem protestantismi ubique multae versiones vernaculae catholicae editae sunt.

4. Quum autem protestantes S. Scripturam unicam fidei regulam ab omnibus legendam constituerent, et versiones vitiatas divulgarent, ecclesia *decreto generali ac severiore* lectionem Bibliorum moderari est coacta. Ut periculum fidei a fidelibus removeret, *Pius IV.* anno 1564. regulis *Indicis librorum prohibitorum tertia et quarta omnes versiones a haereticis confectas, nisi corrigantur, interdixit; imo ipsum usum versionum a viris catholicis in lingua vulgari factarum sine indultu scripto episcopi vel inquisitoris,* parocho aut confessario suadente dando, non permisit. Sixtus autem V. et Clemens VIII. concessionem hujus licentiae congregationi Indicis reservarunt.

Jansenistis doctrinam de necessaria et obligatoria Scripturae lectione renovantibus, *Clemens XI.* anno 1713. in bulla *Unigenitus* propositiones Jansenistae Quesneli (79—85.) eandem doctrinam asserentes damnavit. Deinde *Benedictus XIV.* (anno 1757.) confirmavit sequens decretum congregationis Indicis: *Quodsi hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab apostolica sede approbatae, aut editae cum adnotacionibus desumptis ex SS. ecclesiae Patribus vel doctis catholicisque viris, conceduntur.*

Idem pontifices *Pius VII.* (anno 1817.) et *Gregorius XVI.* (anno 1836.) renovarunt. Hoc decretum nonnulli ita interpretantur, quasi peculiaris in quovis casu permissio fidelibus ad S. Scripturam in lingua vernacula legendam necessaria sit; sed probabilius omnes

sub dicta conditione sine speciali indultu Scripturam legere permittuntur. Id certum est, regulam quartam Indicis in Germania receptam non esse, et morem Biblia sine expressa et speciali potestate legendi a sede apostolica permisum. (Ideo quidam e. g. Thalhofer pro Germania vindicant libertatem versionis catholicae adnotationibus parentis, et ab episcopo tantum approbatae, e. g. versionis N. T. a Kistemaker.) Idem valet in Hungaria, Britannia et Polonia. In Gallia olim specialis missio ad Biblia legenda opus erat, sed nunc jam non est.

5. Lectionem S. Scripturae in lingua vernacula ecclesia *merito ac prudenter* cohibuit. Necessitas enim lectionis asserta erroribus unicae fidei regulae et liberi examinis innititur, quibus ecclesia non resistere non potuit. Deinde experientia tristes lectionis eventus docuit. Huc accessit adulteratio versionum in gratiam doctrinae haereticae facta, et canonis librorum sacrorum mutilatio. Quum autem lectio Scripturae ad salutem necessaria non sit, et vulgaris lectio plane periculosa semper fidei fuerit: ecclesiae custodis revelationis est et fuit periculum a fidelibus propulsare. Si enim veneni et armorum venditio ob bonum commune jure optimo prohibetur, quomodo errorum disseminatio permitti possit?!

Omnis semper *haeretici* *Scripturam adulterare* solebant, ut ea errores suos probarent; merito ergo ecclesia idem a protestantibus metuit. Et non frustra metuit. Versiones enim antiquae protestantium vitiis scatent, et non modo talibus, quae ex imperitia, fragilitate vel incuria interpretum orta sint, sed etiam interpolationibus, quae secundum doctrinam protestanticam factae, consultae merito habentur.

Versio Lutheri Germanica celebrata plus quam 1400 vitia habet consulta et doctrinae Lutheranae congrua, ut Emser et alii demonstrarunt. Hinc multi ipsorum protestantium versionem Lutheri reprobant. Primae tres versiones Anglicanae (a Tyndale, Coverdale et Elisabethina) postea ab ipsis Anglicanis »maximi vitiis plena«, nonnunquam absurdæ ac verbum Dei mutilantes declaratae sunt. Versio a Jacobo I. edita, testibus pariter Anglicanis, vitiis abundat. Editio Gallica ab Osterwald (anno 1843.) publicata, e. g. II. Esdr. 8, 8. ubi levitae legem populo explanasse dicuntur, addit: »la loi faisant entendre par l'Écriture même.« Pro voce traditionis semper doctrinam (enseignement) ponit, et pro voce presbyteri senem reddit. Versio a Martin confecta Act. 14, 22., ubi Paulus et Barnabas ecclesiis sacerdotes dedisse narrantur inserit: »par avis des assemblées.« Plures versiones protestanticae pro idolo imaginem supponunt, ut locos idolatriam damnantes in catho-

licos transferre possint. Similiter societas biblica Anglicana<sup>1</sup> illos locos, qui de auctoritate traditionis et ecclesiae, de lectione S. Scripturae, de cultu sanctorum et imaginum, de sacerdotio, de praedestinatione, de exercitiis pietatis tractant, corruptit. Aliis locis verba addit, quae doctrinam Calvinianam exprimant. Praeterea societas biblica una cum Bibliis alia opera protestantica et libellos contra ecclesiam scriptos nonnunquam divulgarunt. Ipsa absentia notarum protestatur, Biblia esse perspicua et sola ratione duce interpretanda. Quod ceterum nec ipsi protestantes credunt, qui saepe explanationes separatas una cum Bibliis venditant.

6. Ecclesia nec post ortum protestantismi lectionem Scripturae absolute interdixit, sed tantum lectionem versionum vernacularum coercuit; et vel hanc ipsam iis, quorum fides non periclitabatur, sub certis conditionibus semper facile concessit. Scriptura etiam post leges lectionem coercentes, in linguis omnium fere gentium translata est, atque ecclesia versiones publicis usibus destinatas approbavit. Regula 4. Indicis nonnisi de versionibus vernaculis loquitur; ergo textus Scripturae originalis, item versiones antiquae omnibus sine ulla restrictione semper erant permissa. Quum autem tempestate reformationis subsidente periculum fidei imminentum esset, ecclesia ipsam regulam 4. Indicis ita mitigavit, ut versiones a sede apostolica approbatae vel cum notis catholicis editae sine speciali permissione ab omnibus legi possint. (Vide supra decr. congr. Indic. a Bened. XIV. confirmatum.) Imo in nonnullis regnis (Belgio, Anglia, America) majora adhuc laicis privilegia in lectione S. Scripturae data sunt.

Recentissime etiam S. P. Leo XIII. constitutione *Officiorum ac munerum*, anno 1897. promulgata, decreta Indicis generalia ad S. Scripturam spectantia magis adhuc relaxavit.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Anno 1804. ad lectionem Bibliorum promovendam constituta est societas biblica Britannica et extranea (The British and foreign Bible society), quae Biblia vel eorum partes (saltem evangelia) jam in plus quam trecentas linguas transtulit, et ea per suos missionarios atque emissarios ubique terrarum vilissimo pretio vendit, imo gratis dispergit.

<sup>2</sup> *Regulae Indicis recentissimae*. Nr. 5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae, etiam ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel bibliis dant operam, dummodo tamen non impugnantur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur. — 6. Eadem ratione et sub iisdem conditionibus permittuntur aliae versiones sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae. — 7. Versiones omnes

Ecclesia ergo non peritos a lectione Scripturae impedire voluit, quibus linguae originales vel saltem Latina patebant, et quibus constitutio Leonis XIII. lectionem plane omnium versionum permittit, sed indoctam plebem. Inde manifestum est, ecclesiam non verum Scripturae sensum et doctrinae traditae refutationem errorumque suorum detectionem metuisse, nec scientiam ac lucem pertimusse, ut protestantes calumniantur, sed perversum sensum et tenebras ignorantiae insolentis ac superbae. E contrario protestantes lectionem Scripturae etiam corruptae vernacula laicis ac plebi permittendo, non fontem originalem et purum revelationis fidelibus aperiunt, sed fontem turbidum ac venenatum.

2. — *Lex ergo ecclesiae nunc valens de lectione S. Scripturae haec est.*

a) Textum originalem S. Scripturae, versionem *Alexandrinam* et versiones *antiquas* catholicas (Pešito, Italiam, Vulgatam), et versiones in quibusvis *linguis mortuis* a catholicis editas etiam *sine notis* legere omnibus fidelibus permisum est. Imo omnes iidem textus linguae mortuae *ab acatholicis* fideliter et integre editi vel in linguam mortuam translati *studiosis theologiae* (et eo magis theologis, qui studia jam absolverunt, ergo sacerdotibus ac professoribus) permittuntur, nisi in prolegomenis aut adnotationibus eorum dogmata ecclesiae impugnantur. Itaque iisdem studiosis et theologis etiam Biblia polyglotta, apparatus criticus et editiones criticas legere et ad studia adhibere licet.

b) Omnibus legere licet versiones *in lingua vernacula sine notis* editas a sede apostolica ad hunc finem approbandas, vel sine in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab apostolica sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus. — 8. Interdicuntur versiones omnes sacerorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per societas biblicas, a Romanis pontificibus non semel damnatas, divulgantur, quum in iis saluberrimae ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur. Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel bibliis dant operam, permittuntur, iis servatis, quae supra (n. 5.) statuta sunt. — 48. Qui sine ordinarii approbatione sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimit, aut imprimi faciunt, incident ipso facto in excommunicationem nemini reservatam. — 49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his decretis generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab episcopo moneantur, et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

gulis a congregatione (Indicis, s. officii vel propagandae fidei) concessas. At hujusmodi versiones ecclesia approbare non solet, nec earum lectionem laicis indulgere.

c) Omnibus fidelibus liberum est sine speciali indultu legere versionem *in lingua vernacula a catholicis confectam*, et *notis e SS. Patribus vel operibus catholicorum depromptis instructam*, si *episcopus* eam examinaverit et *approbaverit*. (Episcopo tamen jus non est versionem etsi catholicam notis destitutam approbare.) Imo episcopus permissionem ejusmodi versionis legendae pro quovis casu ex justa causa sibi reservare potest.

d) *Interdicuntur* autem versiones in lingua vernacula:  $\alpha$ ) a catholicis factae sine approbatione sedis apostolicae vel saltem episcopi (in posteriore casu notis ornanda) editae;  $\beta$ ) ab acatholice confectae, praecipue a societatibus biblicis divulgatae. Omnes autem istae versiones vulgares (sub  $\alpha$  et  $\beta$ ) studiosis theologiae atque ipsis theologis permittuntur, nisi in prolegomenis aut adnotationibus earum dogmata catholica impugnentur.

e) Editiones, quas legere non licet, neque *tenere* licet. Excipe bibliothecas, in quibus tamen eae venia legendi carentibus denerari debent.

f) Qui contra regulas superiores egerint, *delictum* (pro gravitate materiae) *grave* committunt, et aliis etiam poenis ab ordinario affici possunt.

g) Libros S. Scripturae vel interpretationes eorum sine approbatione ordinarii *imprimere* non licet, sub poena excommunicationis nemini reservatae, ipso facto incurrendae.

h) Cui autem lectio S. Scripturae etsi approbatae vel notis instructae ex jure licita, tamen propter infirmitatem animi *periculosa est*, ille sub poena absolutionis denegandae lectione interdici potest, non vi regularum Indicis, sed ex lege naturali et positiva divina occasionem peccati vitare praecipiente.

Notandum adhuc est, *versiones in linguas vernaculas ex versione Vulgata faciendas esse*, textu originali, ubi opus fuerit, collato. Versiones autem, quae ad usum doctorum ac scientiarum conficiuntur, e. g. in commentariis, textum originalem sequi possunt.

*Adnotatio.* Protestantes divulgatione Bibliorum *evangelium disseminare* volunt. At talis apostolatus quum mandato Christi non conveniat, tum S. Scripturam saepe profanat et tenuem habet effectum. Antequam enim *evangelium* viva voce praedicetur et lingua religiosa

Christiana constituatur, translatio S. Scripturae in linguis prorsus incultas est difficillima et errorum mater. Insuper plurimi gentilium litteras nesciunt, et ipsi qui sciunt, Biblia saepe non intelligunt, vel iis, praesertim multis Antiqui Testamenti locis scandalizantur.

\*

*Opera de lectione Bibliorum tractantia:* Prolegomena ad Indicem libr. prohib. recentissime editum. Romae, 1900. Ibi legi possunt constitutiones Bened. XIV. *Sollicita ac provida* et Leonis XIII. *Officiorum ac munierum.* — Hegelmaier, Gesch. des Bibelverbotes. Ulm, 1783. — Van Esz, Gedanken über Bibel und Bibellesen. Sulzb. 1816. — Malou, La lecture de la S. Bible en langue vulgaire; etiam germanice: Das Bibellesen in der Volkssprache. Schaffhausen, 1849. — Perrone, Prael. theol. Tract. de loc. theol. Pars II. sect. I. cap. V. — V. Thalhofer in Reithmayr's Lehrb. der bibl. Hermen. Kempten, 1874. 202. sqq. — Cornely, Introd. gen. Paris, 1885. 480—489. — Stimmen aus M. L. 1899. t. LVI. p. 270. — De versionibus Scripturae agit Wetzer-Welte, Kirchenlex. Ed. II. tom. II. p. 731. sqq.